

XI.

Verum pace horum dixerim, licet multi pravi & excrementitii maximè tenues & diluti humores, in vasis præsertim majoribus, absq; obstructione, in primis omnimoda, contineri queant, tamen id in minoribus & per viscera præsertim reptantibus, fieri nequit, si maximè humores crassi & terrestres extiterint diutiusq; inhæserint. Et si non omnia, saltem aliqua aut plura ab iis obstructentur. Præterea licet in quibusdam hypochondriacis ex liene in ventric. & contrà, manifestus sit commeatus, præsertim per vas breve dictum, utpote satis amplum tamen & citra illius meatus plenariam obstructionem aut etiam omnimodam læsionem malum Hypochondriacum contingere potest. Postremò etiam obstructionem de hoc ipso non tollit locus Galeni; Obstructio siquidem nunc in hâc, nunc in illâ, nunc in unâ, nunc in pluribus contingere partibus potest.

XII.

Ut verò aliquantò accuratius hujus mali naturam explicaremus & ab aliis affectibus cognatis eò magis distingueremus, communissima eius accidentia, quæ ferè producere solet, differentia loco ipsi definitioni jungere visum fuit: veluti sunt coctionis & nutritionis læsio, flatuum & ructuum productio, sputi copiosi generatio, de quibus omnibus inter signa & planius & plenius.

XIII.

Dictis etiam junximus hunc morbum febris expertem esse. Cum enim uti supra jam monuimus, humores ipsum causantes putredine infecti non sint, necessario hunc morbum febris non sequitur, nec ejus essentiã constituit. Interim non negamus illos ipsos humores quandoq; putredinem concipere & hinc febrim, præsertim lentam aut erraticam, producere posse.

XIV. Po-